

caelo imposita, multis suis spectaculum præbuit: A postremo ferocissimo colligata pedibus equi tergo, extremum spiritum exhalavit: cujusque deinceps corpusculum incendentes populi, sepulcrum ignis fuit, ac judicium paternum sine misericordia **1352** in germano, et nepote quondam datum, in filiis reddidavit, cosque a quibusdam, ut aiunt, interemptos, monarchiam prænuncupatus rex in tribus regnis obtinuit, quam feliciter religiosque gubernans, quadragesimo nunc cum prioribus regni sui anno vitam ducit. Fiunt igitur ab exordio mundi usque in æram præsentem, id est XIV Heraclii et XI Chlothacharii regis, anni MDCCLXXII.

EPISTOLA SIGIBERTI III AD DESIDERIUM EPISC. CADUR-  
CENSEM.

(Ex Edit.)

Domno sancto et apostolico in Christo patri Desiderio Sygghbertus rex. Dum fabula corrente a pluribus et fidelibus nostris cognovimus quasi vocari vos ab Wlodeo episcopo, eodemque patre nostro, synodali concilio Kal. Septemb. in regno nostro, ignoramus in quo loco una et reliquos fratres comprovinciales vestros debeatis conjungere. Licet nos statuta canonum, et ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita et vos conservare optamus; tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia synodale concilium in regno nostro non agatur. Nec ad dictas Kalendas Septembris nulla conjunctio sacerdotum ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur non statim: postea vero, opportuno tempore, si nobis antea denuntiatur utrum pro statu ecclesiastico, an pro regni utilitate, sive etiam pro qualibet rationabili conditione conventio esse decreverit, non abnuimus; sic tamen, ut diximus, ut in nostri prius deferatur cognitionem. Præinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curavimus, per quæ petimus ut pro nobiscum orare dignetis, et ad istam conjunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis: et ut certus credatis, hunc indiculum manu propria subterscripsimus. SYGGBERTUS rex subscripsi.

ERCHANBERTI BREVIARIUM REGUM FRANCORUM ET MAJORUM DOMUS.

(Ex Freh. et Ches.)

Chlodharius rex de Austris, postquam Theodericus et Theodebertus reges et germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio et adjutorio Pippini senioris, qui tunc temporis major domus erat: et sortitus est præfatus rex trium regnorum monarchiam sexdecim annis, sicut illi sanctus Columbanus abba in prophetico spiritu antea prædixit; quia ille Theodericus rex, instigante Brunhilda avia sua, de suo monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim ut comprehendit Chlodharius, vitam ignominiose finire fecit. Major domus tunc Gundolanda, vir egregius, erat. Post non multum rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo jam adulto Dagoberto misit, ibidem eum regem in constituendum, ipsumque ei in majorem domum ac pedagagum constituit. Dagobertus rex post mortem patris regnavit annis sexdecim. Hic magnificus ecclesiis **1353** Dei largitor ac distributor fuit. Major domus ejus Erchanoldus [Al., Erchanaldus] vir illuster, Pippino interim in Auster duce, ac non post multum mortuo. Post mortem Dagoberti regis Chlodoveus rex filius Dagoberti regnavit sexdecim annis, cui omni sporeitie deditus fuit. Major domus qui supra, Chlodharius rex filius Chlodovei, adhuc in perli ætate suæ juventutis mortuus est, regnavitque annis quatuor. Major domus Ebroinus. Theodericus rex filius Chlodovei, frater Chlodharii, regnavit annis novendecim. Major domus Bertbarius. Quo occiso, Pippinus junior filius Anse-

gisili [Al., Anagili] veniens de Austrasiis successit in principatum majorum domos.

Ex hinc reges nomen, non honorem habere ceperunt. Quibus tamen, ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiæque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Godefredus dux Alamannorum, cæterique circumquaque duces noluerunt obtemperare ducibus Francorum, eo quod non potuerunt regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Godefredi ducis, Carlus, cæterique principes Francorum paulatim ad se revocare illos arte qua poterant studere. Chlodoveum adhuc puerum filium Theoderici constituit regem, qui tantum regnavit annos duos. Major domus Pippinus, qui supra.

Childebertum filium Theoderici, fratrem Chlodovei statuit in regnum, qui regnavit annos septendecim. Major domus constituitur Grimoaldus filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare ceperat, qua infirmitate et moritur, et interim Grimoaldus occiditur.

Dagobertum filium Childeberti regem statuit, qui regnavit annos quinque. Major domus Theodealdus filius Grimoaldi, post quem Regnifredus [Al., Raginfredus]. Illis temporibus Carlus filius Pippini ex concubina in custodia a Plectrude matrona ejusdem Pippini tenebatur: auxiliante Domino vix evasit. Dan helem quondam clericum, casarie capitis crescente, regem Franci constituunt, quem Chilpericum nuncupant: quia deficiente prosapia regum, illum, quem propinquiorum Meroveis invenire poterant, statuere, quia Merovei, ut aiunt, sicut antiquitus Nazarei, nullo capitis crine inciso erant, regnavitque annis sex. Interim prædictus Carlus princeps ad Australes paternarum sedum aufugiens, ibique principatum arripens, regemque sibi, nomine Chlodharium, constituens, multa bella cum Chilperico rege, et suo majore domo, nomine Regnifredo commisit, eosque ut voluit superavit, et thesaurum patris sui a Plectrude recepit, suusque rex Chlodharius post non multum obiit. Theodericum filium Dagoberti junioris Fran. i in regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala monasterio erat, regnavitque annis sex. Major domus ac princeps Carolus, qui jam utraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum regibus ac **1354** ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii fore videbantur, vincere constabat.

INSTRUMENTA ELECTIONUM.

Consensio civium pro episcopatu.

(Marculf. lib. 1, n. 7.)

1. Suggestendo piissimo ac præcellentissimo domino, illi regi, vel seniori, commune illius a servis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subtilis tenentur inserta. Principalitatis vestræ, etc. Quoniam sanctæ memoriz vir apostolicus ille, illius urbis episcopus, sine appropinquante ab hæ luce niigravit, tempore naturæ completi, ne destituta sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco ejusdem, suppliciter postulamus ut instruere dignemini illustrem virum illum, aut venerabilem illum, cathedræ illius successorum, in quo est præspicitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia respluens, diligentia castitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter. M. n. nostra hunc consensum decrevimus roborare.

Præceptio regis pro episcopatu.

(Ex Ed. et Mss.)

2. Dagobertus rex Francorum episcopus et ducibus, cunctoque populo Galliarum sinitibus constituto. Condecet clementiam principatus sagaci indagazione prosequere, et pervigili cura tractare ut electio vel dispositio nostra Dei et hominum voluntati debeat concordare; et dum nobis regiones et regna in potestate ad regendum largiente Domino noscuntur esse collata, illis committantur privilegia dignitatum, quos